

171 21 1717

Nf. 16.



15a

DISSERTATIO POSTERIOR
DE
PECCATO
IN SPIRITVM
SANCTVM,

QVA
DE EIVS FORMA, SEV CONSTITVTIONE
ET HVC PERTINENTIBVS MOMENTIS,

NEC NON
DE HVIVS DOCRINAE VSV AGITVR:
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE OCTOBRIS HVIVS MDCC XXVII ANNI
AD DISPVTANDVM PVBLICE PROPOSITA

A
PRAESIDE
D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
ET RESPONDENTE

GOTTFRIDO CHRISTIANO ROTH,
BOMBECCA-PALAEO-MARCHICO,
SACRARVM LITTERARVM CVLTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO POSTERIOR
DE
PECCATO
IN SPIRITUM
SANCTUM

DE HUIUS FORMAE, SEU CONSTITUTIONE
ET HAC PERTINENTIVS MOMENTIS
DE HUIUS DOCTRINAE UT AGATUR
IN REGIA UNIVERSITATE
DIE OCTOBRIIS HUIUS MDCCLXXVII ANNI
AN DISSENTIANTIBUS PUBLICE PROPOSITA

PRÆSIDIO
D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
ET RESPONDENTE
GOTTFRIDO CHRISTIANO ROTHE,
SOMMERSCHEIDTIANI
SACRARIUM CATHEDRAE PASTORIS

HAERESIS APOSTATICA
TYPIS CHRISTIANI KNECHLI ACAD. LIPSIÆ





FORMA, SEV CONSTITVTIO
PECCATI IN SPIRITVM S. ET
VSVS HVIVS DOCTRINAE.

PROPOSITIO I.

Forma peccati in Sp. S. propriè non consistit in
religionis reuelatæ & Christianæ abnegatio-
ne.

DEMONSTRATIO.

I.



Pharisæi commiserunt peccatum in
Spiritu Sanctum, nec tamen
religionem Iudaicam abnega-
runt: Immo in religione Iudaica
ne quidem caput præcipuum de
Messia repudiarunt, sed, confes-
sione doctrinæ de Messia gene-
ratim retenta, tantum negarunt, Iesum Nazarenum
esse verum Messiam, peccato non tam in Spiritum
Sanctum, quam in filium hominis, hoc respectu com-
misso.

A 2

2. Nec

2. Nec obstant loca epistolæ ad Hebræos. Nam, uti dissert. I. cap. I. ostensum est, ea tantum secundum analogiam huc pertinent, & nihil probant aliud, quam, præter peccatores in Spiritum Sanctum proprie sic dictos, illos etiam, qui e Iudæis ad Christum vere conuersis ad Iudaismum cum hostili Christi & christianismi insectatione relabantur, spe veniæ e sua ipsorum culpa excidere. Atque ita eiusmodi apostatas ob contumaciam suam, qua opus Spiritus S. in semet ipsis destruunt, & quod is in ipsis effecerat, ipsi spernunt & explodunt, & sic multis modis, etiam apud alios, officio Spiritus Sancti hostiliter repugnant, peccatoribus in Spiritum Sanctum accensendos esse.

PROPOSITIO II.

Forma peccati quænam sit, iam facile constat ex iis, quæ dissertatione I. cap. II. de eius obiecto dicta sunt.

OBSERVATIO.

Obiectum istud, seu officium Spiritus Sancti, non commode potuit, respectu ad hoc peccatum habito, describi, nisi ut simul indicaretur, quomodo aduersus istud verferetur illud ipsum peccatum, seu homo peccator. Atque ita re ipsa simul huius peccati forma delineata, certe indicata, est. Non vero erit inconsultum, si de ea ex instituto agatur, iis, quæ e dicto illo loco huc pertinent, cum ipso Spiritus Sancti officio simul vberius declaratis.

PRO-

PROPOSITIO III.

Forma peccati in Spiritum Sanctum proprie consistit in malitiosa & simul speciosa officii Spiritus Sancti, quo hic animarum conuersionem & salutem intendit efficitque, impugnatione & impeditio, variis prætextibus speciose factitata.

DEMONSTRATIO.

1. Peccatum in Spiritum Sanctum versari circa officium Spiritus Sancti, supra dissertatione I. euictum est. Iam vero versatur circa illud hostiliter, ita vt illud impugnet & variis modis impediatur.

2. Videmus hoc in exemplo Pharisaorum aliorumque Christi & Apostolorum hostium. Cum enim Spiritus Sanctus, quo Christus sine mensura & Apostoli vberime vincti erant, ipsorum ministerio tanta operaretur cum efficacia, vt permulti miseræ suæ naturalis agnitione ad salutis ordinem adducerentur, nec pauci quasi in limine conuersionis suæ hærent, Pharisei omnibus modis id agebant, vt doctrina & factis Christi obscuratis & calumniarum mole obrutis, & quasi conculcatis, prima etiam conuersionis stamina in se ipsis & aliis abrumperent, & multo magis successum eius impedirent, motibus bonis, quos ipsi etiam vel inuiti acceperant, intra se impie suffocatis.

3. *Prætextus*, quibus se induerunt Christi hostes, noti sunt ex historia euangelica & apostolica. Præcipuus erat is de cognitione & possessione veritatis, vti

antiquissima & a patribus accepta, sic certissima etiam, ideoque de studio & zelo eam aduersus quamcunque nouationem & heterodoxiam mascule & accerrime tuendi iusto & necessario. Et cum negari haud posset, cognitionem ipsorum litteralem multis in partibus ac in suo genere non fuisse improbandam, habebant sane, sub quo latere ac rudi popello persuadere poterant, se omnia referre ad auditorum suorum salutem ac Dei gloriam, in primis quando identidem Scripturam Sacram allegarunt, & ad conscientiae suae impulsum prouocarunt: interea vero regni Dei incrementum omninisi impediebant. Id quod mox pluribus recensabitur.

PROPOSITIO IV.

Officii Spiritus Sancti, quo Christus ipse & Apostoli eius fungebantur, & quod ab eisdem hostibus impugnatum fuit, summa erat in praëconio poenitentiae & euangelii, multis miraculis, nec non summa vitae innocentia, illustrato & confirmato.

DEMONSTRATIO.

1. In praëconio de poenitentia & euangelio fuisse summam concionum Christi, atque ita etiam officii Spiritus Sancti didascalici & epanorthotico-pædeutici ac paraetici, testes sunt Euangelista. Quid? quod ipse Christi prodromus, Ioannes baptista, secundum illud Matthæi: *poenitentiam agite, appropinquauit enim regnum caelorum*, eo refert omnia, *ϋ. τ. λ. c. III, 2. seqq.* Et hoc

hoc ipsum profecutum esse Christum, idem sacer auctor perhibet c. III, 17 seqq. conf. illud Marc. I, 15. *Pœnitentiam agite & credite in euangelium (de regno cœlorum).*

2. Quæ vero pœnitentiæ ratio esse debeat, præeunte eodem Ioanne ipse Christus pluribus passim declarauit. Sufficiat hic nonnullorum allegatio. Vrgebat optimus salutis nostræ auctor & magister ante omnia demissam & seriam animi contritionem & transformationem, ipsa *μετάνοιας* voce commendatam. Vrgebat sinceram nostri, seu amoris proprii propriæque voluntatis ac cupiditatum nostrarum, immo rerum omnium, quæ non sunt ipse Deus, & ad ejus regnum pertinent, abnegationem & mortificationem, & in hac luctam spirituales ac paupertatis indignitatisque sensum; ingressum per angustam portam & necessariæ regenerationis ordinem. Et hæc ita vrgebat, vt in animi conuersione ante omnia requireret fidem, fidei tribuens defatigantium & oneratorum accessum ad se, & insuper indicans, in conuersione & fidei accensione idem fieri, quod in plantatione bonæ arboris fiat, eaque nos plane in alios transformari homines, paruulis simplicitate mentis similes. Hæc vero ratione nos versari in arcta ad cælum via, abnegationis continuationem requirente, nec non in genuina ac fidei Christi imitatione, in eaque ad vitæ finem perseuerare, non sine insigni lucta contendere in regnum Dei, & quidquid crucis propter iustitiam inferatur, lubenti animo ferre, corroborari interiori homine, ipso Christo, tanquam pane cœlesti, interiorem hominem alente, & nos,
tan-

tanquam bonas arbores, fructus ferre plurimos, sub spe æternæ mesfis certissima. Hic erat salutis ordo, in quo commendabatur & applicabatur salutis nostræ fundamentum & causâ, seu gratia Dei salutifera de agno Dei peccata huius mundi expiante & auferente, & de salute per Messiam parta, ac de eiusdem iustitia lytri locum habente & imputabili, ac in peccatorum remissionem iniustitiam nostram tegente, & bonorum spiritualium gustu, quem unio & communio cum Christo, tanquam palmitum cum vite, sponsæ cum sponso, mystica pariat, huius vitæ tædia ac crucismolestiam leuante ac pressos in precum exercitio versantes refocillante. Hoc esse doctrinæ Christi & apostolorum compendium, nemo nescit, nisi eiusdem adeo sit hospes, vt ne litteralem quidem eiusdem notitiam habeat. Et in huius doctrinæ propositione, explanatione & illustratione, Christum ac Apostolos fuisse totos, ita vt mysteria & dogmata reliqua omnia ad catenatum doctrinæ huius nexum retulerint, eiusdem non imperitis est notissimum.

3. Istis vero omnibus vt pondus aliquod adderet, partim etiam vt auditorum animos ad attentionem & obsequium præpararet Christus, sua & eiusdem, quo vnctus erat, Spiritus virtute miracula edebat stupenda, Apostolis hanc docendi & confirmandi methodum imitantibus, & ipsa quoque vitæ integritate puritatem doctrinæ suæ comprobantibus. Et quia nihil magis conuersioni ac saluti hominum obstabat, quam pseuodidascalorum corrupta doctrina ac vita, vtriusque

usque corruptelas Christus & Apostoli quavis fere occasione & omni studio detexerunt, vt, quod euitandum esset, non ignorarent imperiti. Hoc vero Christi & Apostolorum ministerium fuisse ipsius Spiritus Sancti officium, ipsa doctrinae euangelicae analogia iam supra disert. I. exposita indicat.

4. Et hoc ipsum est, quod Pharisei ac hostes alii impugnarunt, peccato in Spiritum Sanctum sic commisso; quemadmodum historia euangelica testatur. Aegerrime enim ferebant, homines se ipsis reddi meliores & sapientiores, & se aliorum doctrina & vita redargui & pro hypocritis ac pseudodidascalis haberi & deserui. Quare, odiis in calumniandi nocendique molimina conuersis, summo contendebant opere, vt Christi & Apostolorum personas, ipsorumque doctrinam & vitam, conuictorum subsidio omnium odiis exponerent, & eorum existimatione sic conculcata, suam ipsorum auctoritatem statuminarent. Qua ratione non solum ipsi data opera animos aduersus castigantis & conuertentis gratiae disciplinam obfirmarunt, sed, vt hoc etiam alii facerent, auctores exstiterunt, sui & aliorum exitii quasi fabri. Et hoc ipsum Christus in Phariseis reprehendebat: *Vae, inquit, vobis, scribe & Pharisei, qui regnum caelorum ocluditis hominibus. Vos enim non in gredimini, nec ingressuros finitis intrare.* Matth. XXIII, 13.

PROPOSITIO V.

Exseruit vero sese in Phariseis & eorum similibus veritatis hostibus peccatum in Spiritum
 B San-

Sanctum diuersis modis ac gradibus, vti sunt odia, calumniae, captiones ac detorsiones verborum, cauillationes operum, insidiae ac diuexationes, ad vincula, exilia ipsamque caedem vsque progressae.

DEMONSTRATIO.

1. Odia Pharisaeorum erant manifesta. Et cum *Φρόνημα τῆς σαρκός*, quale in omnibus, etiam melioris notae, hominibus est natura, iam per se sit *ἐχθρὰ εἰς τὸν θεόν*, Rom. VIII, 7. inimicitia aduersus Deum, & hac ratione rebellionis crimen; facile potest colligi, quanta sit atrocitas peccati istius, quo extremae malitiae odia odiis istis naturalibus adduntur.

2. Viperinorum vero odiorum affectum varii generis calumnias euomuisse, quid est mirum? Et praeter eas, quae passim commemorata leguntur, multas fuisse alias, quis dubitaret? Vnde Petrus Christum i Ep. c. II, 23 vocat *λοιδορούμενον*, conuiciis affectum. Quem enim viuum vocauerant Samaritam, hoc est, hominem haeticum, genuinorum Iudaeorum consortio indignum, & quem commercii cum demonibus postularant, etiam post mortem, vbi alias liuor quiescere solet, vocabant *τὸν πλάνον ἐκείνον*, impostorem illum Matth. XXVII, 63. Nec Apostolorum fata fati Christi hac in parte fuisse mitiora, eadem originum Christianarum monumenta satis superque produunt. Vide speciatim locum 2 Cor. VI, 8, *ὡς πλάνοι, καὶ ἀληθεῖς, ἀλλὰ οὐκ ἄλλο* die *Versüßrer, und doch wahrhaftig.*

3. Vt vero cum aliqua veri rectique specie Christo

sto

sto & Apostolis aliisque sinceris Christianis agre face-
re possent aduersarii, captiuos agebant sophistas, qui
ea, quæ quam rectissime dicta erant, in alienum sen-
sum detorquebant, pro vt partim prauæ suspitionis,
partim odii affectus cæcus & impetuusus suggererat.
Vide Matth. XXII, 18. conf. Luc. XI, 53. vbi ἡ ἀποστο-
λικὴ ἐκείνῳ reddendum est, captiuose aliquem adloquendum
allicere, quemadmodum declaratur, quando additur:
insidiantes ei & cupide aliquid venantes ex ore eius, vt
cum accusarent.

4. Nec leuiores erant cauilla, quibus innocentissi-
ma & optima Christi & Apostolorum facta excipie-
bant. Quando enim hi animas publicanorum & scor-
tatorum, aliorumque grauiorum peccatorum saucias
& delictorum onere prægrauatas quæsitum, leuatumque
ac sanatum ibant, pro eorundem sociis habebantur.
Vide Matth. IX, 11. XI, 19. Luc. XV, 2. Atrocissima
verò omnium erat criminatio, qua præconium euan-
gelii & ille eius fructus, qui in applausu & obsequio au-
ditorum erat, pro seditione & motibus civilibus habeba-
tur, imperantibus aduersus innocentes inflammatis.
Luc. XXIII, 5. Act. XVII, 6. XXIV, 5. De insidiis au-
tem ac diuexationibus ad vincula ipsamque necem vs-
que progressis passim claram extare litteram in histo-
ria sacra, nemo nescit.

PROPOSITIO VI.

Causæ hostilitatis, aduersus opus Spiritus
Sancti, in quæsitâ animarum conuersione
positum exercitæ, erant diuersæ, sed singu-
læ e Θεωρηματι τῆς σαρκὸς catenato nexu ortæ.

DEMONSTRATIO.

Ille corruptæ naturæ sensus & affectus, quem Paulus Rom. VIII, 7 *Φρόνημα τῆς σαρκός* vocat, ex vna parte gignebat dominantem *Φιλαυσίαν*, *Φιλαυσία* ambitionem & fastum, fastus auctoritatis propriæ præiudicium, & hoc pertinaciam insuperabilem; ex altera vero parte affectus iste producebat odium erga dissentientes, *Φρονημαί*, plane contrario, h. e. *τῆ πνεύματι*, ductos, & inualescebat ex accepto elencho ingratiissimo, & inprimis e nuditatis & cæcitatibus prauitatisque Pharisæicæ detectione: quæ affectata auctoritas apud quam plurimos imminuta prosternebatur, immo etiam ventri ex parte saginam suam subducebat, ideoque erat intolerabilis.

PROPOSITIO VII.

Hoc ipsum vero peccatum, in hostili veritatis impugnatione positum, hoc adiunctum habebat iniquitatis mysterium, vt veri rectique speciem indueret, ipsa recte factorum opinione corruptissima furori seruiente.

DEMONSTRATIO.

1. Fundamentum huius iniquitatis mysterii est partim in homine peccante, partim in obiecto, circa quod versatur. Homo peccans, vt dissert. I. vidimus, erat ordinis, certe animi & moris, Pharisæici, qui, etsi non raro etiam Epicureum agebat, seu Sadduceum, tanto

ta-

tamen tamque specioso Pharisaismi, seu ceremonialis sanctimoniae, apparatu erat circumdatus, vt se ipsum haberet pro religioso & vero veri Dei cultore, & ab aliis etiam, quotquot corruptae naturae ductum sequebantur, pro tali reuerenter admodum haberetur. Obiectum vero, seu res, circa quam versatur, est sacra, ad religionem pertinens. Pro qua, tuenda quando zelus induitur exseriturque, *iniquitas conspicitur in mysterio*, seu sub *vario velo*, veritatisque, ac pietatis praetextu, hac ratione in transuersum agens caecos eiusmodi zelotas, & deceptis aliis adeo latens, vt apud hos etiam meritorum speciem praeseferat.

2. Et hoc ipsum est, quod Christus indicauit Io. XVI, 2. *E Synagogis*, inquit, *eiicient vos; immo venit tempus, vt, qui vos occidit*, (ante necem vero vos vestrumque, quod ipsius Spiritus Sancti est, ministerium variis iniuriis ac calumniis onerat aliisque iniuriam reddit) *existimet, se cultum praestare Deo*. Huc inter alia refer illud hostium effatum Io. VIII, 48. *Nonne recte dicimus, te Samaritanam esse & demonium habere?*

3. Idem confirmat LV THERVS Tom. IV. Altenb. p. 541 seqq. perhibens, non esse hoc peccatum crassum, sed *sanctum quasi & spirituale, eine geistliche Sünde*, propterea quod non *peccatum, sed opus pretiosum vocari, nec puniri, sed laudari, velit*. Conf. Tom. IV. Lat. Ien. fol. 333. seqq.

PROPOSITIO VIII.

Etsi mysterio aliquo sese induit peccantium in Spiritum Sanctum iniquitas; tamen tam fuit

notabilis & temeraria, vt ecclesiae *bonum* ingens pro *malo* ingenti, malum vero pro *bono*, venditauerit.

DEMONSTRATIO.

1. Hoc fecisse Phariseos tempore Christi & Apostolorum, nemo nescit. Quodnam enim maius *bonum* ecclesiae Iudaicae poterat obtingere, quam oeconomia euangelii cum praerogatio penitentiae, & cum ipso euangelii fonte & auctore, Iesu Christo? Et quidnam ex hoc bono oblato prouenire poterat bonum maius, quod in tot animarum conuersione & tenebrarum impulsione deprehendebatur? Sed hoc ipsum *bonum* pro tanto ecclesiae *malo* reputabatur, vt eius ministri fideles cum eodem pro peste & pro piaculis, seu purgamentis expiandis, quae Paulus vocat *περὶ τὰ δάγματα* & *πῶλον πειθήνους* 1 Cor. IV, 13. haberentur. Quin vero e contrario Pharisei ingens illud ecclesiae malum, quod in traditionum cumulo & in ipso Pharisismo & theologia sectaria erat, nec non illam suam orthodoxomaniam, qua Christo & Apostolice eius ad necem repugnabant, pro *magno bono* habuerint, non est dubium.

2. Hoc autem peruersum iudicium de *malo* & *bono* ecclesiae iam characterem fuisse pseudo-prophetarum veterum, Iesaias testatur, quando iisdem c. V, 10. grauissimum Dei iudicium denuntiat: *Vae*, inquit, *dicentibus de malo bonum esse, & de bono malum; statuentibus tenebras pro luce, & lucem pro tenebris; statuentibus amarum pro dulci, & dulce pro amaro.*

PRO-

PROPOSITIO IX.

Peculiaris & maxime proprius eorum, qui in Spiritum Sanctum peccant, character fuit & adhuc est, ab impugnatīs Domini seruis & filiis, seu Spiritus Sancti ministris, nullam plane apologiam admittere, seu nulla eorum apologia emendari, & ad culpæ suæ confessionem, saltem silentio declarandam adigi, sed iniquitati suæ immorari, immo immori.

DEMONSTRATIO.

Videmus hoc itidem in Phariseis. Hi enim quoties Christum audiebant ipsi, toties de doctrinæ eius integritate & personæ eiusdem innocentia convincebantur. Et hanc conuictionem aliorum quam plurimorum testimonia augebant: sed nullo alio, quam maioris obstinationis, & obdurationis eventu, adeo ut, quod veritati & innocentia demonstrata cum aliqua apud imperitos recti specie opponerent, semper excogitarent, & sic *divina* ruerent in peius, reatu suo aucto.

PROPOSITIO X.

Ex hac temporum apostolicorum facie, & peccati in Spiritum Sanctum proprietate hactenus descripta liquet, peccatum hoc esse frequentissimum, & ab iis præcipue committi, qui purioris doctrinæ ac religionis tuendæ studium & promouendæ diuinæ gloriæ
zelum

zelum præ se ferunt; & quidem aduersus eos eorumque doctrinam & instituta, qui a Spiritu Sancto vncti fideles eiusdem in officio suo ministri sunt, id agentes omni nisu, vt regnum Christi per conuersionem animarum amplificetur.

DEMONSTRATIO.

1. Officium Spiritus Sancti, quemadmodum supra Proposit. III. vidimus, se præcipue exserit in illis doctrinis, quæ ad gratiæ applicatrici ambitum & ad salutis ordinem pertinent. Etenim diabolus ferre potest, vt de salutis fundamento, quod in Christo est, & de fidei nostræ principio, quod in verbo Dei reuelato habemus, multa præclara præclare dicantur; modo non vrgeatur genuinus applicandæ salutis ordo, aut hic ita peruertatur, vt nulla salutis applicatio locum habeat, sed homo, sub factæ applicationis opinione, in statu mere naturali speciose incrustato permaneat, vtpote hac ratione quam certissime æternæ salutis iacturam facturus. Huic vero deceptioni communi & horrendæ Spiritus Sanctus ministerio sua ita occurrit, vt homines ab ea detecta liberet, & in viam salutis re ipsa ductos æternæ vitæ participes faciat.

2. Quæ cum ita sint, ad officium Spiritus Sancti præcipue pertinent sequentes doctrinæ.

De peccato originali & de concupiscentia, illam non esse rem indifferentem, sed grande malum in homine.

De penitentiâ & abnegatione, qua prauæ hominum
con-

consuetudines, & vanae actiones, quales se in rebus ludicris apud adultos exserunt, cum internis affectibus ac desideriis, inprimis ambitionis ac auaritia, pro vero peccato vna cum peccatis reliquis agnoscuntur, exuuntur & abiiciuntur.

De *fide & regeneratione*, qua homo non more hypocritarum in superficie, sed interne & solidissime, mutatur, ita vt animo & instinctu totaque vita plane alius existat.

De *iustificacione*, non nisi apud vere regeneritos & viua efficacissimaque fide praeditos locum habente.

De *beneficiis regni gratiae*, vt sunt communio cum Deo, *ἰοδοσία*, pax & libertas conscientiae, laetitia spiritualis *κ. τ. λ.* quod non nisi illis tantum obueniant, qui, se illorum capaces esse, officiorum suorum, Deo, aliis hominibus & sibi ipsis interne & externe exhibendorum, *προθυμία* & fidelitate comprobant.

De *imitatione Christi* cum seculi huius schemate simpliciter *ἀσυναίμα*.

De illa verorum Christianorum indole, qua sibi per inhabitantem Dei gratiam ordinarie a lapsu grauiori, seu a peccatis conscientiam vastantibus & fidei naufragium inducentibus, per omnem vitam reliquam cauent, & in gratiae statu ita perseuerant, vt in peccati, quod sentiunt *ἐν πνεύματι*, reliquiis magis magisque expurgandis sint seduli.

3. Qui has, & quae huc pertinent, reliquas doctrinas,

C

ctinas, ipsa praxi sua ornatas, ita tradit & explicat applicatque, vt, salutis ordine vere inito, auditorum haud repugnantium salus obtineatur, ille est *minister Spiritus Sancti*, per quem ille officio suo in Christo glorificando cum successu fungitur. Sed qui has ipsas doctrinas corrupte tradit, non est Spiritus Sancti minister genuinus, sed, etsi non in omnibus, in multis tamen cæcus cæcorum hodegus. Qui vero hæc ipsa dogmata non solum non ipse recte & integre proponit vrgetque, ita vt auditores morigeri inde vere conuertantur, sed illa ipsa, quando integre & incorrupte docentur, adeo ferre non potest, vt ea exagitet & reprehendat, ipsosque doctores ideo, si non hæreseos, tamen grauissimorum errorum arguat; is sane peccat omnino in officium Spiritus Sancti, adeo vt non tantum ipse non conuertatur ad Deum, sed alios etiam, quantum in ipso est, ab aditu ad salutem arceat, atque ita Spiritui Sancto quam maxime repugnet.

4. Nec obstat, has aliasque doctrinas ab ipsis illis veritatis hostibus proponi, immo interdum adeo vrgeri, vt etiam acrior epanorthosis aduersus homines Epicureos & hypocritas adhibeatur. Hoc enim nisi ipsi etiam facerent, statim agnoscerentur pro lupis rapacibus. Quia vero sub ovina illa doctrinæ pelle latent, vulgo pro genuinis pastoribus habentur. Et quis dubitabit, ipsos etiam Pharisæos, hostes Christi insensissimos, sæpe optima quæque, etsi traditionibus humanis permixta, tradidisse? inprimis, cum hic ipsum Christum testem habeamus, quando Matth. XXIII, 2, 3 per.

perhibet, ipsos *sedere in cathedra Moſis*, & *quidquid ex lege Moſaica proponant, ſeruandum eſſe.*

5. Hæc vero cum ſit ratio peccati in Spiritum Sanctum, quis dubitaret, illud multo committi frequentius, quam vulgo putari ſolet; & ab iis quidem maxime, qui hæc ipſa *delicta ſua bonorum operum loco haberi* volunt? Et quamuis multi ex hiſce peccatoribus ad necem vsque aduerſus innocentes haud depugnent; peccatum tamen iſtud atrox omnino committunt; vtpote quod ſola infectatione & criminatione, præcipue tali, qua aliis via ad conuerſionem obſtruitur, committi, e dictis haud poteſt eſſe obſcurum. Quid? quod multis ad vincula & cædes vsque furendi non tam voluntas deſit, quam facultas; inprimis in eccleſia euangelica, in qua turbulentorum hominum, quales hæretifices eſſe videas, intemperies, ab imperantibus eſt circumciſa & valde limitata.

PROPOSITIO XI.

Peccatum in Spiritum Sanctum maxime quidem commiſſum fuit temporibus Chriſti & Apoſtolorum; at nequaquam tamen ad iſta reſtringendum eſt; ſed fuit ac eſt omnium temporum veteris ac noui teſtamenti.

DEMONSTRATIO.

1. Reſtriſtionis iſtius nullum exiſtat veſtigium in locis de hoc peccato ſupra diſſertat. I. productis: ex illis potius manifeſtum eſt, Chriſtum, occasione a peccato Pharifeorum ſumta, de hoc ipſo delicto generatim loqui.

C 2

2. Nec

2. Nec res ipsa restrictionem istam permittit. Et enim peccatum hoc committitur contra Spiritum Sanctum, in suo conuertendorum hominum officio consideratum, uti supra euictum est. Iam vero hoc ipsum officium fuit omnium temporum. Unde dubitari nequit, quin aduersus illud a contumacibus hominibus quouis fere tempore atrocius fuerit peccatum, cum nullo non tempore magna exstiterit hominum repugnantia.

3. Idem confirmat analogia peccati aduersus *Filium hominis*. Quemadmodum enim hoc praecipue inde ab aetate *ἡν αρχήσεν οὗτος λόγος* vsque ad nostram omnino a multis patratum fuit: sic de peccato in Spiritum Sanctum, quod in locis praecipuis Matth. XII. Marc. III. & Luc. XII. peccato isti iungitur, merito idem dicimus.

4. Et veteris quidem testamenti temporibus commissum fuisse hoc peccatum, expresse indicat Stephanus Act. VII, 51. *duri*, inquit, *cernice & non circumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui illi Sancto renitimini: quemadmodum patres vestri* (eidem repugnarunt) *ita & vos*. Et hoc est, quod tristissima prophetarum fata & tot ipsorum oracula comprobant. Unde idem Stephanus ibidem addit: *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* *κτλ.* conf. Matth. XXIII, 29. seqq. & Ies. LXIII, 10. ubi Israelitae dicuntur *rebellasse Spiritui Sancto* cum euentu exilii sui.

5. Recte itaque B. DANNHAVERVS Hodof. p. 1420. huc refert peccatum filiorum Eli. *Cecitas*, inquit

quiens, per naturam est immedicabilis, per gratiam supernaturalem medicabilis; sed si hæc ipsa repellitur, manet profus immedicabilis. Probatur hoc $\pi\alpha\theta\textcircled{c}$ ex oraculis diuinis 1 Sam. II, 25: Si in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Vbi si filiorum Eli peccatum recte consideres, in Spiritum Sanctum commissum est, qui ob signauit evangelicam gratiam per sacrificia, igne sanctificante, semper fouendo, significatus. Sensus plenus est: si peccauerit vir in virum (i. e. homo in hominem) placari ei potest Deus, quia sunt in tabernaculo sacrificia, quæ peccatorem Domino conciliant: at si vir contra Deum peccat, eo modo, quæ in Dominum peccatis, tollendo sacrificia & preces, quis homo a Deo gratiam inire debet, quis eum placabit? Conferatur idem p. 1419. vbi peccatum in Spiritum Sanctum vocat repulsam officii Spiritus Sancti proæreticam.

PROPOSITIO XII.

Proprium peccati in Spiritum Sanctum est irremissibilitas, seu negatio veniæ, ab hominis peccantis conditione dependens.

DEMONSTRATIO.

Conditio, seu status, hominis in Spiritum Sanctum peccantis, uti ex hæctenus dictis constat, hic est, quod is officio Spiritus Sancti, ad ipsius & aliorum conuersionem tendenti, adeo non obsequitur, vt eidem hostiliter repugnet, & sic eam apud se & alios impediat; & hac repugnantia ac contumacia hostili animo suo cal-

lum obducatur & semet ipsum induret, & in hac induratione persistat. Quo facto non potest conuerti e sua ipsius culpa. Et quamuis hic e voluntate Dei, culpam istam consequente iustum gratiæ, tanquam sine ullo salutari effectu mansuræ, subtractæ, & indurationis iudicium accedat: absit tamen per omnem modum, vt veniæ negationem absoluto reprobationis decreto tribuamus; vtpote quod ab vniuersa fidei analogia, immo ab ipsa etiam ratione saniore quam maxime abhorret.

PROPOSITIO XIII.

Vsus huius doctrinæ didascalicus est in notanda huius peccati grauitate, nec non in differentia huius peccati a peccato in filium hominis,

DEMONSTRATIO.

1. Vt peccati huius grauitas recte æstimari possit, præter eius irremissibilitatem hic consideranda est peccatorum actualium genealogia, ex qua constabit, istud in ea extremum habere gradum:

1. *Motus primi*, e peccato originali, tanquam fonte & radice, orti.
2. *Motus inualescentes*, & voluntatem in consensum sollicitantes, in primis stimulante appetitu sensitiuo.
3. *Consensus*, itidem magis magisque inualescens.

4. *Pro-*

4. *Propositum executionis*, in primis si hæc externum actum requirat; quæ ipsa est *proæresis*.
5. *Captatio occasionis*, quæ executioni apta fit.
6. *Ipse actus externus*, a sciente & volente commissus.
7. *Actus istius continuatio*, in obfirmatam peccandi consuetudinem abiens.
8. *Actuum istorum*, seu ipsorum peccatorum, *excusatio* & *extenuatio*, eorundem elencho ac debitæ agnitioni opposita.
9. *Eorundem defensio effrons*, exuto omni pudore facta.
10. *Gloriatio de iisdem impudentissima*, animum plane obrutescentem prodens.
11. *Seductio aliorum*, omni nisu studioque factitata.
12. *Hofilis veri & recti*, in abstracto & concreto talis, *impugnatio* & *criminatio*. Quæ si officio Spiritus Sancti, in salutis ordine ad conuersionem animarum tendenti, a sciente & volente opposita est, reuera continet ipsum peccatum in Spiritum Sanctum, & simul prodit voluntariam obduracionem.

SCHOLIA.

- a. Quamuis hi peccati actualis gradus non apud vnumquemque peccatorem proæreticum in singulis delictorum generibus ita coniunctim deprehendantur; re tamen vera ita se habere istam gradationem, experientia testatur.
- b. Et quamuis peccator in Spiritum S. in primis fit fit ordinis Pharisæici, abstineat ab actibus peccan-

candi crassioribus: in ipso tamen suo aduersus Spiritum S. peccato per istos gradus ad summum adscendere solet.

c. Et peccatorem ejusmodi quouis alio grauius peccare, inter alia etiam ex eo manifestum est, quod alii peccatores, etiam alias grauissimi & atrocissimi, v. g. homicidæ, adulteri, fures cet. ferre possint ac soleant, quando alii Deum ex animo timeant, immo non raro eos reuerentur ac laudent, tanquam se ipsis multo beatiore: peccatores autem in Spiritum Sanctum tolerare nolint alios in practico salutis ordine constitutos, sed eos variis modis exagitent ac divexent, ipsa salutari doctrina ad ordinem istum pertinente, tanquam noua, heterodoxa, immo hæretica, explosa.

2. *Differentia peccati in Spiritum Sanctum & illius in filium hominis*, vti iam supra dissertat. I. vidimus, est, quod, cum istud committatur a *sciente & volente* contra officium Spiritus Sancti, hoc fiat vel ab *ignorante*, vel a *sciente* quidem, & a *nolente*, sed *coacto*, seu metu periculi ex imbecillitate abrepto; & quidem non contra Spiritus S. officium, sed aduersus personam Christi. *Scientis*, & *nolentis*, certe abrepti exemplum habemus in *Petro* Christum abnegante; & *ignorantis* in *Paulo* Christum in membris suis excruciante, nec non in omnibus illis, qui suppliciorum metu adasti Christum cum vniuersa religione Christiana abnegarunt. Quos peccati aduersus Spiritum Sanctum non fuisse reos, etiam a posteriori, seu a multorum

rum feria pœnitentia & facta in ecclesiam receptione
liquet.

PROPOSITIO XIV.

Vsus huius doctrinæ elencticus & pœdeuticus est in
huius peccati fuga, & in cautione, ne specia-
lem applicationem ad certas personas fa-
ciamus.

ILLVSTRATIO.

1. *Fugam* huius peccati sollicitam commendat cu-
rator atrocitatis eius consideratio. Et cum, uti e Pha-
risæorum exemplis est notissimum, ad illud præsertim
abripi soleant ecclesiæ doctores eiusmodi, qui extra
statam gratiæ positi sunt, eum tamen sibi arrogant, &
dominatum aliquem, aut quandam quasi dictaturam
in conscientias affectant, eamque per hæresiopœciam ad-
versus innocuas Christi oves earumque pastores ac
veritatis testes sinceros vsurpant; habent sane isti, a
quo sibi caueant. Et quia procul dubio etiam hoc
delictum suos habet gradus, & negatio veniæ proprie
in extremum, certe in maiorem, cadit; ne ad hunc
deueniant, etiam a primo & secundo resiliendum est,
loco veritati & per eam conuersioni relicto.

2. *A speciali vero applicatione* ad certas personas
ideo abstinendum est, quia ad eam requiritur accuratior
de homine peccante cognitio, ut de statu animæ ipsius
constare possit. Sciendum hic est, qualem & quantam
is de veritate, cui acerbius contradicit, conuictionem
acceperit, & quali ac quanta cum malitia eam impu-
gnet;

D

bull. a.

gnet; & quodnam sit principium, ex quo apud ipsum omnis conuictio reddatur inanis, *αἰσιλογία* autem inualeat? Ex hoc enim animi statu proprie diiudicanda est forma huius peccati, cum contradictio, seu impugnatio ipsa, potius ad eius materiam, quam ad formam pertineat. De statu autem aliorum interno iudicare cum sit difficillimum, & sine sufficienti eius notitia in applicatione facile aberrari possit; ab hac quam tutissime abstinemus: saltem ea, quæ e multis documentis aliquanto certius introspicere ac diiudicare nobis videtur, nobis seruemus ipsis, ne alii, qui non eandem cognitionis mensuram habent, sine fundamento sufficienti idem ex incerto asserant.

PROPOSITIO XV.

Vfus huius doctrinæ paracleticus est eorum, qui, grauiori blasphemarum cogitationum tentatione excruciat, existimare solent, se peccati in Spiritum Sanctum esse reos, cum tamen ab eo sint alienissimi.

DEMONSTRATIO.

1. Dari grauissimum hoc spiritualium tentationum genus, comprobatur experientia, & haud obscure colligitur ex illis Pauli locis de ignitis satanæ telis Eph. VI, 16. & de palo carni infixio & angelo satanæ *καλαφίζοις*. 2. Cor. XII, 7.

2. Hanc vero tentationem a peccato in Spiritum Sanctum esse diuersissimam, indicant sequentia argumenta:

• Illud

- a. Illud de *homine peccante*, qui hic est plane diuersus, seu status diuersissimi. Etenim *peccator* in *Spiritum Sanctum* est homo extra statum gratiæ constitutus: *tentatus* vero homo *regentus* & *iustificatus*. Nec enim probabile est, vllum eiusmodi *tentationis* exemplum de vlllo homine non renato & præfracte impio existare.
- b. Illud de *principio peccandi* plane alio. Quod in *tentato* est *passiuum*, tanquam in maxime *inuito*, adeo vt multa cum *lucta* & *anxietate* repugnet: in *peccatore* autem aduersus Sp. S. est *actiuum* ac *proæreticum*.
- c. Illud de *obiecto diuerso*. Hoc enim in eiusmodi *tentato* est *ipsa Dei essentia* cum eius *attributis* & *operibus*: in *peccatore* autem in Sp. S. est *officium Spiritus S.*
- d. Illud de *forma*: quæ in *tentato* est *perceptio passiva* & maxime *inuita*, potius *aliena* & ab ipso *sana* *ingesta*, quam *propria*, coniuñcta cum *promtissimo obsequio* erga *officium Spiritus S.* In *peccatore* autem in Sp. S. *proæresis* maxime *maligna* & *hostilis* istius *officii* *impugnatio*.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

1. **P**eccatum in Spiritum Sanctum summæ licet *avocatus* sit, eo tamen certo respectu adhuc grauius est peccatum originale in se consideratum.
2. Idem hoc peccatum iam ante ipsam peccatoris mortem completum est atque integrum; neque enim finalis impietas ad eius formam constituendam pertinet.
3. Ab ipsis in Spiritum S. peccatoribus bene distinguendi sunt illi, qui in limine tantum & via ad hoc peccatum ducente versantur.
4. Peccatum in *filium hominis* frequentius, illud vero in Spiritum S. rarius ab indocta plebe committitur.
5. Iudæi ac Muhammedani maxima ex parte inter peccati in *filium hominis* reos referri possunt.
6. Posito hoc de peccato in Spiritum S. dogmate, nullo modo læditur illud de vniuersalitate meriti Christi & gratiæ præcellenti efficacia.
7. Posito & recte explicato eodem dogmate, concidit illud de negata gratiæ semel acceptæ excussione, deque eius inuitabili admissione.
8. In doctrina de peccato in Spiritum S. defectu peccant, qui huius peccati commissionem ad sola Christi & Apostolorum tempora adstringunt.

RE

RESPONDENTI
SALVTEM DICIT PLVRIMAM
PRAESES.

Quinuper Opponentis partes suscepisti, carissime ROTHII, iisque non imperite functus es, nunc Responsuri defensoris locum tibi sumis, fratre coniunctissimo, mutata vice Opponentis munus sibi vindicante. Quemadmodum sic disputando certatis, certate etiam pie orando & sancte viuendo, ita vt vnus alteri calcar addat, vterque vero vniuersum vitæ stadium ita decurrat, vt hoc academicæ institutionis præscriptum, ad verbi diuini regulam datum, requirit. Sic nec nos docuisse, nec vos didicisse, vnquam pœnitebit. Vale in Domino, eique viue ac serui sincere. Halæ exeunte mense Sept. MDCCXXVII.

Quæ scelerum sordes, quæ sit fœdissima labes
Peccati, multum perdidicisse iuuat.
Nam morbi vires, causas ac semina nosse,
Est fere dimidium, quod medicina potest.
Iam cum de summo morbo, *suauissime frater,*
Qui mentem vastat, publica verba facis,
Gratulor ex animo specimen, Numenque supremum
Proque Tuis studiis proque salute rogo,
Illius vt saluum semper TE gratia feruet,
Ac virtutis iter perpetuare iuuet;
Non modo qno noscas peccati tristia fata
Dimidiumque scias, quod medicina docet,
Ast & cœlesti medica tota arte peritus
Permaneas animæ prosperitate vigens!

*Hec suauissimo fratri tenerrimo animi adfectu
diligentiæ specimen gratulaturus, adposuit*

F. A. F. ROTH
S. S. Theol. Cultor

Dum Iouæ laudes multa cum laude tueris,
Candida non fallax dextera vota sacrat:
Numen quod semper studiis arrisit amicum,
Nunc ea successu prosperiore beet;
Frugibus vt vireas calo cumulat ab alto
Angelici focius post pia fata chori.

*Hiscæ paucis Præ nobilissimo ac Doctissimo Domino
Respondenti, Agnato suo suauissimo, de insigni
eruditionis specimine, ex animo gratulari
voluit*

IOANNES FRIDERICVS BOELL.

Palæo-Marchicus, Medic. Cultor.

Die

Die Weisheit ist ein Schatz, dem nichts ist zu
vergleichen,
Und dessen Glanz und Pracht muß Gold und
Silber weichen:

Sie ist ein solches Gut, das man durch Müß und
Schweiß

Erlangt, und suchen muß durch ungemeynen Fleiß.
Diß unschätzbarre Gut, womit die Weisheit pranget,
Hast Du, Hochwerther Freund, auf solche Art erlan-
get;

Drum lege ich hiedurch den frohen Glück-Wunsch
ab,

Den mir die Freude jetzt selbst in die Feder gab:

Lebe, blühe im Vergnügen,

Fliehe, was D E J N Glück aufhält!

Alles müsse sich so fügen,

Wie es D J N selbst wohlgefällt.

Lebe, blühe im Vergnügen,

Fliehe, was D E J N Glück aufhält!

Hiermit wolte seinem werthen Freunde
ergebenst gratuliren

IOACHIMVS ERIDERICVS Knitter,

S. S. Theol. Cultor.

Die alte Welt fing an sich Pfauen gleich zu brüsten;
Sie hat aus Ruhmbegier die Wunder aus ge-
dacht,

Da sie zwar mühsam genug Coloffos vorgebracht,
Und die Pyramides auf der Egypter Küsten,
Auch andre Wunder mehr; dabey sie nur getracht,
Wie sie doch ihren Ruhm der Nach-Welt ewig
macht.

Man

Man ließ sich bey dem Thurm zu Babel auch gelüffen;
Doch wird der Unbestand bey allen ausgelacht,
Weil harte Felsen ja wie Glas zerflittern müssen,
Wenn nur ein Wetter Strahl aus denen Wol-
cken kracht.

Sie hochgeschätzter Freund! Sie gaben besser acht,
Da Sie als ihren Schatz die Weisheits-Lehren küßten.

Gut fahre gnädig fort den Fleiß so Tag als Nacht,
Mit Wohlseyn, Ehre, Glück und Segen aus zu rüßen.

G. C. Woltersdorff.

Warchov- Magdeb. S. S. Th. Cult.

Sehrter Freund Dein Fleiß läßt ich Fruchte
sehen,

Und Du hast Deine Zeit nicht unnütz angewandt:
Da Du nun wilt mit Ruhm aus unserm Halle gehen,
So nimm den Glückwunsch an, den eine treue Hand
In diese Verse schließt: Geh, * Wehrter, geh in Frieden,
Dein Leib sey zwar von mir, doch nicht der Sinn ge-
schieden!

* 1 Sam. cap. XX. v. 42.

Dieses sehet seinem geehrtesten Freunde zur Be-
zeugung eines ergebenen Gemüths

SAMVEL THEOPHILVS Lange.

S.S. Theol. Stud.

TYpothetarum παραγράματα, quas in duabus hisce
Dissert. irreplere, æquus lector ipse corriger, qua-
lia v. g. sunt, diss. I p. 5. lin. 10. Marc. III. & pro: &
Marc. III. & ad calcem eiusdem diss. p. 38. lin. 1. qui sunt mis-
pro: qui sunt miser. cet.

Fg 6179

ULB Halle


3


002 675 65X



Handwritten blue ink scribbles or markings, possibly initials, located below the purple stamp.







15a

DISSERTATIO POSTERIOR
DE
**PECCATO
IN SPIRITUM
SANCTUM,**

QVA
DE EIVS FORMA, SEV CONSTITVTIONE
ET HVC PERTINENTIBVS MOMENTIS,

NEC NON
DE HVIVS DOCTRINAE VSV AGITVR:
IN REGIA FRIDERICIANA

DIE OCTOBRIS HVIVS MDCCXXVII ANNI
AD DISPVTANDVM PVBLICE PROPOSITA

A

PRAESIDE
D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
ET RESPONDENTE

GOTTFRIDO CHRISTIANO ROTH,
BOMBECCA-PALAEO-MARCHICO,
SACRARVM LITTERARVM CVLTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.